

SESSION 2024

**AGRÉGATION  
CONCOURS EXTERNE**

**Section : GRAMMAIRE**

**VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

*Les dictionnaires latin-français Bornecque, Gaffiot, Goelzer et Quicherat sont autorisés.*

*L'usage de tout ouvrage de référence, de tout autre dictionnaire et de tout matériel électronique (y compris la calculatrice) est rigoureusement interdit.*

*Il appartient au candidat de vérifier qu'il a reçu un sujet complet et correspondant à l'épreuve à laquelle il se présente.*

*Si vous repérez ce qui vous semble être une erreur d'énoncé, vous devez le signaler très lisiblement sur votre copie, en proposer la correction et poursuivre l'épreuve en conséquence. De même, si cela vous conduit à formuler une ou plusieurs hypothèses, vous devez la (ou les) mentionner explicitement.*

**NB : Conformément au principe d'anonymat, votre copie ne doit comporter aucun signe distinctif, tel que nom, signature, origine, etc. Si le travail qui vous est demandé consiste notamment en la rédaction d'un projet ou d'une note, vous devrez impérativement vous abstenir de la signer ou de l'identifier.  
Le fait de rendre une copie blanche est éliminatoire.**

**Tournez la page S.V.P.**

## **INFORMATION AUX CANDIDATS**

Vous trouverez ci-après les codes nécessaires vous permettant de compléter les rubriques figurant en en-tête de votre copie.

Ces codes doivent être reportés sur chacune des copies que vous remettrez.

Concours	Section/option	Epreuve	Matière
<b>EAE</b>	<b>0901B</b>	<b>105</b>	<b>0310</b>

# Agrégation externe de grammaire

## Version latine

*En 323 av. J.-C., Alexandre meurt à Babylone, empoisonné. Ses généraux se partagent alors l'Empire, avant même de songer aux devoirs funèbres à rendre à son corps...*

Credidere quidam testamento Alexandri distributas esse prouincias ; sed famam eius rei, quamquam ab auctoribus tradita est, uanam fuisse conperimus. Et quidem suas quisque opes diuisis imperii partibus, ut uidebatur, ipsi fundauerant, si umquam aduersus inmodicas cupiditates terminus stare. Quippe paulo ante regis ministri specie imperii alieni procurandi singuli ingentia inuaserant regna sublatis certaminum causis, cum et omnes eiusdem gentis essent, et a ceteris sui quisque imperii regione discreti. Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio : quippe sordent prima quaeque, cum maiora sperantur. Itaque omnibus expeditius uidebatur augere regna, quam fuisset accipere.

Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio, curis omnium ad formandum publicum statum a tam sollemni munere auersis. Et non alias quam Mesopotamiae regione feruidior aestus existit, adeo ut pleraque animalia, quae in nudo solo deprehendit, extinguat : tantus est uapor solis et caeli, quo cuncta uelut igne torrentur ! Fontes aquarum et rari sunt, et incolentium fraude celantur : ipsis usus patet ; ignotus est aduenis. Traditum magis quam creditum refero : ut tandem curare corpus exanimum amicis uacauit, nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum uidere qui intrauerant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, nondum destituerat uultum. Itaque Aegyptii Chaldaeique iussi corpus suo more curare primo non sunt ausi admouere uelut spiranti manus. Deinde precati, ut ius fasque esset mortalibus attractare deum, purgauere corpus ; repletumque est odoribus aureum solium, et capiti adiecta fortunae eius insignia. Veneno necatum esse credidere plerique : filium Antipatri inter ministros, Iollam nomine, patris iussu dedisse. Saepe certe audita erat uox Alexandri Antipatrum regium adfectare fastigium, maioremque esse praefecti opibus ac titulo Spartanae uictoriae inflatum, omnia a se data adserentem sibi. Credebant etiam Craterum cum ueterum militum manu ad interficiendum eum missum. Vim autem ueneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat, ungulam iumenti dumtaxat patientem esse constat suci. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum uirus emanat. Hoc per Cassandrum adlatum traditumque fratri Iollae et ab eo supremae regis potionis inditum. Haec, utcumque sunt credita, eorum, quos rumor asperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniae Antipater et Graeciam quoque inuasit. Suboles deinde exceptit interfectis omnibus, quicumque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant.

Quinte-Curce, *Histoires*

